

In festo (sc. introducendo) PII PAPAE XIIⁱ
HYMNUS AD LAUDES

Divinis modulis barbitos incinat
carmen Castalium conditum, ut audeat
Pastorem Angelicum pangere nobilem,
fulgens pontificum decus!

Unctus sanctificae chrismate gratiae
aeterno solio Christicolae regens
incensique sacri nubibus obrutus
scit regnare triregnifer.

Verbo, lege, piis ac precibus docet,
exemplo proprio more regit suos,
lautas encyclicas dans et homilias
mentes erigit ad Deum.

Indefessus agit causam ovium undique
pressarum horribilo tempore bellico
constat, perstat, adest, admonet, obsecrat
terrorum indomitos duces.

Qui, quod gente sua deterius putant,
extirpare student ceu mala germina,
tortorum tegit os gesta silentio,
ut vitet scelus acrius.

Audacique operans, ut potuit, manu,
quotcumque et potuit, coenobiis locat,
fauce ex terrifica prodigii feri
sescentasque animas rapit.

Magnum concelebrans, dum viguit, virum
post mortem assequitur foeda calumnia.
sed mendacium humi sternet et opprimet
surgens carcere veritas.

Qui sublime tuum, Mater amabilis,
auxit voce decus dogmatis ultimi,
votis praecipuis annue supplicum,
des altaria scandere,

qui veraciter hic, qui vice Filii
regnavit, fac eum participem tui
aeterni iubaris quo Pater et tuus
Natus Flamine congruunt.

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM